UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Quomodo examinandi sint testes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61641

Visual Library

ſibi tranſmitti poſtulet. Prout habetur in *l. Iudices* 18. *Cod. de fide inſtru. & c. Conſtitutus* 3. §. *Praterea. De fidejuſſo. & c. 2. De judic. in 6.* etiam extra judicium recipiendos, & ſolum miniſterium ſive nuda executio examinis poſt receptos, & approbatos jam teſtes committatur; niſi ſint cauſæ criminales, in quibus ipſemet Iudex teſtes recipere, & examinare debet, ut, ſi res exegerit, tormentis ſubiiciantur: vel niſi illi, qui in teſtes producuntur, ſint perſonæ privilegiatæ, aut ægrè venire poſſint ad locum Iudicii, quibus, ut domi ſuæ per ſubmiſſas perſonas idoneas examinentur in cauſis ſaltem civilibus, conceditur, ut conſtat ex *l. Ad perſonas* 15. *ff. De jurejurand. & c. Si qui teſtium* 8. *h. t.*

§. V.

Quomodo examinandi ſint teſtes?

NOn plures ſimul, ſed ſingulos ſigillatim, & ſecretò examinandos eſſe ex *c. Venerabili* 52. *h. t.* conſtat (ad cavendum ſcil. omne periculum, ne ex favore potius, quàm veritate idem deponat aliquis, quod alter depoſuit) & ex *c. Cùm cauſam* 37. *h. t.* patet, quòd diligenter ſint examinandi, non ſolùm ſuper negotio ſeu cauſa principali, ſed etiam de ratione ſeu cauſa ſcientiæ, de perſonis teſtium, & ſingulis circumſtantiis; neque enim cenſetur ſcire, qui neſcit rationem ſeu cauſam reddere ejus, quod aſſerit. Abſtinendum tamen eſt non ſolùm ab incongruis & nihil ad rem facientibus interrogationibus, ſed etiam à nimium exquiſitis, conſideratâ qualitate perſonæ, quæ examinatur, & ſemper moderari debet Iudex nimium teſtium multitudinem, ita ut non permittat ultra quadragenarium numerum teſtium multitudinem ſuper uno eodémque articulo excedere.

SECTIO V.

De publicatione atteſtationum.

§. I.

Quomodo facienda ſit atteſtationum publicatio, & an pertineat ad ſubſtantiam proceſſûs! Item an atteſtationes receptæ in uno judicio publicandæ ſint, probent, & fidem faciant in alio Iudicio?

EXaminatione teſtium factâ, & poſtquam ulteriori productioni renuntiârunt partes, ad quam faciendam à Iudice induci debent, debent atteſtationes in ſecreto receptæ, utrâque parte præſente, vel alterâ etiam abſente, ſi citata tamen fuerit, & contumax declarata, publicari, non quidem quaſi ad ſubſtantiam proceſſûs judiciarii hæc publicatio pertineat, & conſequenter ipſius omiſſio nullam reddat ſententiam latam (quia ſine examinatione teſtium et inſtrumentis v. g. poteſt ferri ſententia) ſed quòd neceſſariò ex præcepto requiratur, ita ut ſi ommiſſa ſit, quamvis pars eam petiverit, Iudex autem recuſaverit, appellare pars illa poſſit: poſſunt tamen atteſtationes in priore judicio receptæ in altero judicio, ſi ſuper eadem cauſa & ſuper iisdem articulis, & inter eaſdem perſonas, &c. fuerit, publicari (quia jura dicta etiam in alio judicio fidem faciunt